

injustam, vel contra Legem expressam sciens suscipiat, tenebitur tum Clienti, si eum decepit; tum parti laesae restituere damna. *L. 6. tit. 16. lib. 3. R. C.* quod si à principio ipsi videretur justa, postquam injustam esse cognovit, debet eam deserere. *D. Thom. 2. 2. q. 71. art. 3.* ad quod in nostra Hispania sub juramento tenetur. *L. 2. tit. 16. lib. 2. R. C.* Si Advocatus in eadem causa utraque partem adjuvat, unam publicè, alteram secreto, dicitur prævicator: quod si faciat scienter, partem uti falsis instrumentis, vel testibus, utroque casu poena mortis punitur. *L. fin. tit. 6. p. 3.*

376 Potest advocatus à suo Cliente petere, & cum eo pacisci de salario, seu stipendio, quod *honorarium* solet appellari; ut in *L. 1. §. 10. ff. de Extraordin. cognit.* dum non excedat taxationem à Lege factam. *L. 14. tit. 6. p. 3. l. 18. & seqq. tit. 16. l. 2. R. C.* Siquidem nemo suis stipendiis cogitur militare. *C. 16. de Prescription.* Sed nihil percipere potest nomine victoriæ, & palmarum. *L. 7. cum seqq. l. 29. tit. 16. lib. 2. R. C.* nec potest pacisci de pretio post litem inchoatam. *L. 7. tit. 16. lib. 3. R. C.* salarium tamen debet taxari juxta qualitatem causæ, & litigantium, & diligentiam, studium, & laborem Advocati. *L. 11. tit. 16. lib. 3. R. C.* debet tamen pauperes defendere gratis, ubi non sunt Advocati pauperum. *L. 16. tit. 16. lib. 2. R. C.* Advocati, & procuratores nequeunt salarium petere post trium annorum à die debiti, lapsum. *L. 32. tit. 16. lib. 2. R. C.* Advocati participant privilegia militaria, præter ea, quæ ob ignorantiam sunt militibus concessa. *L. 14. C. de Advocat. diversor. Judic.* ibi: *Militant namque causarum patroni, qui gloriosæ vocis confisi nunquam laborantium spem, vitam, & posteros defendunt.* Nec possunt torqueri, nec fustigari, nec suspendi, quia nobilitas privilegiis decorantur. *L. 7. C. h. t. arg. l. 3. tit. 10. p. 2. Et ibid. Greg. Lop. V. Sabiduria de los derechos.* Et hac ratione immunes sunt ab oneribus, & muneribus realibus, & personalibus. *L. 6. C. de Profes. & Medic. lib. 10.* Hoc denique officium, si ut oportet, exerceatur, ut laudabile, vitæque hominum maximè necessarium, Principalibus præmiis remunerari oportet. *L. 4. C. de Advocat. diversor. Judic.* De quorum privilegiis, & laudibus latè agit *D. Melchior. de Cabrera Nuñez*, ubi plures illustres viros, qui hoc officium exercuerunt refert: Siquidem Moyses, Abraham, D. Hieronym. S. Ambros. S.

Damasus, & alii Advocati fuerunt: & S. Ivo Advocatorum Advocatus est: imò & ipsa Sanctissima Virgo Maria, nostra Advocata salutatur ab Ecclesia: & Christum Dominum Advocatum habemus apud Patrem. *Joan. 1. cap. 2. v. 1.* sed improbos Advocatos, ut pestem Reipublicæ increpant. *Cervall. Com. Bobadill. Polit. lib. 3. cap. 14. ex n. 46.* Et ipsos alloquens. *D. Aug. Ep. 54. ait: Redde, quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adjuvisti, Judicem fefelisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti.* De Advocatis latè agitur in Digesto, & Codice sub titulo de Postulando. *Et in tit. 6. p. 3. Et in tit. 16. lib. 2. R. C. Et in tit. 24. lib. 2. R. Ind.*

## TIT. XXXVIII.

## De Procuratoribus.

377 *Procurator*, sic dictus, quia pro alio curatur, est qui aliena negotia mandato Domini administrat. *L. 1. ff. h. t.* qui etiam in jure *Responsalis* vocatur, *C. 25. de Rescript.* Et ibid. *Gonz. n. 8. Hispani* appellatur: *Procurador, y Personero. L. 1. tit. 5. part. 3.* differt ab advoco, quia hic non gerit privatim negotia aliena mandato Domini, sed pro altero dicit, & advocat, & jus suæ partis explicat, & allegat merita causæ: *Negotiorum gestor, & defensor*, etiam administrant negotia aliena, sed sine Domini mandato. *L. 2. ff. de Negot. gest.* Et in hoc à Procuratore differunt. Tutor, & Curator, etiam negotia aliena administrant, sed etiam sine Domini mandato; sed hoc habent à publica autoritate Legis, vel Magistratus, vel à Testatoris voluntate. Hinc Procuratoris officium, cum sit species mandati deberet esse gratuitum, sicut mandatum. *L. 15. C. h. t.* ac proinde quoties de mercede convenitur, locatio est. *L. 1. §. fin. ff. Mandat. Procurator*, alius dicitur *verus* alius *falsus Verus* est, qui legitimum mandatum administrandi à Domino habet: legitimum mandatum erit, si factum sit juxta *L. 13. & seqq. tit. 5. p. 3. Falsus* Procurator dicitur, qui mandatum non habet, vel quod habet est illegitimum, & insufficient. *L. 19. C. de Furtis.* Procurator alius est *Judicialis*, *Extrajudicialis* alter *Judicialis* est qui ad lites alieno nomine processu datur. *Extrajudicialis* ille dicitur, qui ad negotia extrajudicium admi-

nistranda datur. Et hi solent appellari in jure *Mandatores*. Quod si detur ad universa bona, & negotia administranda *Procurator Generalis* dicitur: E contra verò *particularis Procurator* appellatur quando unius rei, vel negotii administratio ipsi mandatur. *L. 1. §. 1. ff. h. t.* Similiter dicendum est de Procuratore judiciali. Aliquando requiritur, quod Procurator habeat mandatum speciale. Tale est necessarium ad causas Criminales criminaliter intentatas, ad jurandum de calumnia, ad deferendum juramentum decisivum parti adversæ, ad transigendum, compromittendum in arbitrium, ad matrimonium, ad restitutionem petendam, ad rescriptum impetrandum, ad fidejubilandum, ad donandum, ad debitum remittendum, ad renuntiandum beneficio, ad presentandum ab beneficium, ad petendum absolutionem ab excommunicatione, vel dispensationem super defectu natalium, & alia hujusmodi. Nec hoc mandatum suppletur per clausulam: *Ut possit omnia, licet speciale mandatum exigant.* *C. 4. h. t. in 6. Cl. 2. h. t. L. 19. tit. 5. p. 3. Paz in Prax. annot. 4. n. 16.* Mandatum specialiter concessum ad aliquas lites; vel negotia non comprehendit majora, vel graviora expressis, etiam adjecta clausula: *Ad omnes lites, & negotia, quæ habeo, & habere spero.* Imò hæc clausula solum includit lites præsentis, & ex præsentibus ortas; non verò futuras, nisi dependant ex litibus de præsentibus. Nec mandatum contra unum, & alios includit digniores, imò etiam adjecta clausula generali: *Contra quamcumque personam*, non includit Universitatem, Civitatem, aut Collegium. *Paz in Prax. annot. 4. ex n. 19.* Quando Procurator habet generale mandatum quoad negotia, etiam quoad lites censetur mandatum habere. *C. 5. h. t. in 6.* aliquando Procuratori datur mandatum generale cum libera, id est plena, & libera potestate agendi omnia, quæ posset, & ipse Dominus agere. *C. 4. h. t. in 6.* Et potest res mobiles, & immobiles vendere, permutare, alienare, & facere, quæ mandatum speciale requirunt. *C. 4. h. t. in 6. L. 19. tit. 5. p. 3.* sed non potest donare. *L. 63. ff. h. t. Paz in Praxi, annot. 4. n. 17. & 20.* Procurator actoris datus ad agendum, etiam ad defendendum datus censetur, & in causa reconventionis tenetur respondere. *L. 33. §. 4. ff. h. t.* Procurator rei ad agendum datus non censetur datus ad ipsum defendendum; nam Dominus in judicio conventus,

sciens se reum esse, Procuratorem tantum ad agendum constituens, creditur nolisse eum defensorem assignare. *C. 2. h. t. Et ibi Gonz. n. 6.*

378 Procurator ad negotia potest alium sibi liberè substituere. *C. 1. §. fin. h. t. in 6.* nisi datus sit ad matrimonium contrahendum. *C. fin. h. t. in 6.* vel si aliud negotium magni momenti ipsi commissum sit, vel speciale requiratur mandatum, vel aliter à Domino coarctetur hæc facultas alterum substituendi. Procurator verò ad lites non aliter, potest alterum substituere, nisi factus sit litis dominus per ejus contestationem, vel à Domino habeat facultatem substituendi, vel in rem suam datus sit. *C. 1. §. 1. h. t. in 6.* Siquidem aliquando Dominus vendit, donat, aut cedit jura, & actiones suas alteri, ita ut ille alieno nomine litiget, emolumenta verò litis pertineant ad ipsum cessionarium, qui dicitur *Procurator in rem suam.* *L. 34. l. 55. ff. h. t.* dicitur *in rem suam*, quia jus, & actionem per cessionem acquisivit: dicitur *Procurator*, quia exercet actionem ab alio mandatam, & cessam. Procurator judicialis fit Dominus litis per litis contestationem, potestque tunc alium substituere, etiamsi in mandato non continetur hæc potestas. Si enim hæc substituendi potestas ipsi concedatur, vel si datus sit in rem suam, etiam ante litem contestatam potest substituere. *C. 1. h. t. in 6.* Et in hoc stat præcipuum discrimen inter Procuratorem ad negotia, & ad lites. Nam ille liberè quemcumque alium substituere potest, secus Procurator ad lites nisi in casibus dictis. *L. 19. tit. 15. p. 3.* Procurator ergo per contestationem adeo fit Dominus litis, ut licet executio fiat in bonis Domini, totus processus, & sententia regulariter in Procuratorem dirigatur. *L. 23. C. h. t. L. fin. tit. 5. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. V. Et personero*, nisi Dominus præsens fuit in judicio, & litem est contestatus, vel in matrimonialibus, beneficialibus, & spiritualibus causis, vel etiam in causis Ecclesiarum, committatur, & pupillarum, & in criminalibus criminaliter intentatis. Si Procurator qui in aliquo puncto litis arduo vult Dominum consulere, petat ad hoc inducias, & ipsi denegentur appellare potest. *C. 11. h. t.* quando in judicio condemnatur, debet appellare, non tamen tenetur appellationem prosecui. *C. 14. h. t.* nisi cum mandato ad hoc se extendente constitutus sit.

179 Qui caret legitimo mandato sive



ex parte actoris, sive ex parte rei sit constitutus, *falsus* Procurator dicitur, & gesta ab ipso sunt ipso jure irrita; *arg. C. 4. h. t.* quia habetur tamquam persona extranea, & Judex etiam parte non petente, poterit illum compellere, ut ostendat mandatum, quod sit sufficiens: imò non auditur, nisi illud exhibeat, etiam in causa summaria: sufficit tamen ad validitatem processus, mandatum, quando-cumque offerri, etiam post conclusum in causa. *L. 16. Stryli.* Et ita in praxi servatur. *Paz in Praxi, annot. 4. n. 39.* In mandato Procuratoris, ut legitimum, & sufficiens dicatur, debet apponi nomen Procuratorem constituentis, Procuratoris constituti, actoris, contra quem, Judicis apud quem constituitur, & causa, de qua agendum est, & etiam dies, annus, & locus, & a tergo manu advocati debet ut sufficiens declarari, & subscribi. Et si postea insufficiens appareat, Advocatus solvet lites expensas. *L. 3. tit. 2. lib. 4. R. C. Aevved. ibid. Paz. in Praxi, annot. n. 9.* Nec sufficit, quod Tabellio fidem faciat, se legisse mandatum, sed hoc, precipue in nostra Hispania debet modo dicto exhiberi. Nec item sufficit, quod Procurator caveat, Dominum ratum habiturum. *C. 1. h. t. l. 40. §. fin. ff. h. t. l. 10. tit. 5. p. 3.* nam omnia gesta per talem Procuratorem nullius momenti erunt. *L. 10. C. h. t. Gonz. in C. 1. h. t. n. 9.* Admittuntur tamen in judicio ad actionem pro alio, etiam sine ejus mandato, proponendam, Canonici, quando agunt pro juribus suæ Ecclesiæ. *C. 34. de Offic. deleg. Conjunctæ personæ pro suis conjunctis, ut liberi pro parentibus, fratres pro fratribus, maritus pro uxore, & sic alii consanguinei, & affines pro aliis consanguineis, & affinibus usque ad quartum gradum, nisi aperte eorum voluntas repugnet. C. 8. de In integr. restit. l. 40. §. fin. junct. l. 35. ff. h. t. Patroni, pro libertis, & liberti pro Patronis, & Socii pro sociis in re communi. Sed hi omnes debent præstare cautionem de rato, & quidem fidejussoriam de eo, quod illi, pro quibus agunt, ratum habebunt, quidquid fiat, vel judicatum sit: & si ipsi ratum non habeant, quod ipsi Procuratores, & fidejussores solvent poenam, quæ imponatur. Sed reus debet hanc cautionem exigere ante lites contestationem: nam postea non tenentur tales Procuratores eam præstare. *L. 10. tit. 5. p. 3.* sed in Regiis Cancellariis hoc non habet locum, ob *L. 2. tit. 24. lib. 2. R. C. ut**

*notat Greg. Lop. in d. l. 1.* Etiam pro reo absente potest extraneus, etiam sine mandato defensionem assumere, & talis dicitur *defensor. L. 76. ff. h. t.* Nam semper in defensione rei censetur ejus conditionem meliorem facere; *arg. L. 1. ff. de Neg. gest. debet tamen cautionem de rato præstare. L. 10. tit. 5. p. 3.*

380 Nullus regulariter compellitur Procuratorem constituere, nisi habeat impedimentum perpetuum comparendi. *C. 2. h. t.* vel causa celeritatem exigat, vel negotium non afferat magnum præjudicium, vel si de hoc sit statutum, ut in Regiis nostræ Hispaniæ Cancellariis, ubi certus numerus Procuratorum constitutus est. *L. 1. tit. 24. lib. 2. R. C.* Et quidem tales, cum munus publicum exercent, possunt compelli accipere mandatum, secus privati. *C. 6. h. t. in 6. L. 17. C. eod.* Si impedimentum litigatum non sit diuturnum, debet, adversarius patienter sperare donec cesset. *C. 2. h. t. Reges, Episcopi: & aliæ personæ valde illustres non litigant per se in sua causa, sed per Procuratorem, nisi in causa criminali contra ipsos mota. L. 11. tit. 5. p. 3.* Et quamquam olim, non facile possent Procuratores ad lites constitui postea tamen indistinctè in usum Procuratores venerunt ob rationem. Text. in *L. 1. §. 2. ff. h. t. ibi: Usus Procuratoris per quam necessarius est, ut qui rebus suis ipsi superesse, vel nolunt, vel non possunt, per alios possint agere, vel conveniri.* Itaque jam hodie omnes Domini, & habentes liberam rerum administrationem, si non prohibentur, possunt Procuratorem constituere. Hoc quippe Edictum prohibitorium est, ac proinde omni illi permittitur, cui hoc specialiter non prohibetur. *L. 43. §. 1. ff. h. t.* Et qualibet universitas, potest Procuratorem constituere, qui *Syndicus, & Aëtor.* appellatur. *C. 7. h. t.* etiam si Regentes, vel præfæcti sint excommunicati, nisi ipsi excommunicati in litteris Procuratoris sint expressi, vel eorum autoritate Procuratoris constitutio facta fuisset, vel si ipsa communitas eos tales sciens admisisset ad constituendum Procuratorem. *C. fin. h. t.* Sanè non valet Procuratorem constituere servus, nisi de suo statu litiget. *L. 33. ff. h. t.* vel quando alias agere potest. *L. 8. ff. h. t.* Ne Curator, Tutor, vel Syndicus possunt Procuratorem constituere pro minoribus, pupillis, vel communitate, nisi post litem contestatam. *L. 11. C. h. t. l. 3. tit. 5. p. 3.* Religiosus sine licentia Prælati nequit Pro-

cu-

curatorem facere, *Cl. 3. h. t.* nisi quando sine licentia Prælati potest stare in judicio, v. gr. ad causandum Prælatum: quoniam nec Prælatus in causis arduis, & magni momenti potest illum constituere, nec Procuratorem generalium, & perpetuum ad omnia negotia facere valet. Extra hos duos casus potest per se, etiam ante litem contestatam constituere Procuratorem. *C. 6. de Juram. calumn. Paz in Praxi, annot. 4. n. 36.* si minor habens Curatorem per se ipsum constituat Procuratorem, sententia pro ipso lata valebit: secus ea, quæ contra ipsum feratur. *L. 14. C. h. t.* Cum autoritate Curatoris potest, & debet constituere Procuratorem. *L. 3. tit. 5. p. 3.* nisi in casibus, in quibus potest per se litigare: nam tunc etiam sine autoritate Curatoris Procuratorem constituere potest. Idem dic de filio familias, qui sine patris consensu potest Procuratorem constituere, quando per se potest litigare; ut in *l. 2. tit. 5. p. 3.* Minor in causis beneficiabilibus, & aliis spiritualibus, si sit major 14. annis, potest agere, & defendere causam spirituales per se, vel per alium, perinde ac si esset major 25. annis. Si vero sit minor 14. annis per se non agit, sed per Procuratorem, vel Curatorem datum autoritate Judicis Ecclesiastici. Filius familias sine patris assensu agit causam spirituales. *C. fin. de Judic. in 6.* In causa temporalis dandus est adulto Procurator à Magistratu. *L. 43. ff. h. t.*

381 Procurator potest esse, qui litem, vel negotium prosequi potest, etiam absens. *C. 7. h. t. in 6.* etiam Laicus in rebus spiritualibus. *C. 1. h. t. in 6.* etiam filius familias; & quidem sine assensu patris si major sit 17. annis, quando ad negotia eligitur, vel major 25. si ad lites constituitur. *C. 5. h. t. in 6. l. 5. l. 19. tit. 5. p. 3.* In summa: omnes illi, qui non prohibentur, possunt Procuratores esse. *L. 43. §. 1. ff. h. t. l. 5. tit. 5. p. 3.* Nequeunt tamen Procuratores constitui infantes, furiosi, amentes ob judicii defectum. *L. 2. ff. h. t.* nec milites nisi in sua causa, vel nomine suæ cohortis. *L. 7. l. 9. C. h. t. l. 5. l. 6. l. 7. tit. 5. p. 3.* Mutus, & surdus. *L. 43. ff. h. t. servus. L. 33. ff. eod. ff. h. t.* nisi sit Tutrix, vel Abbatissa, vel in rem suam, vel in defensionem libertatis, vel pro marito, vel fratribus, vel consanguineis, non potest hoc officium assumere. *L. 54. ff. h. t. l. 4. C. eod.* Infames nequeunt, saltem de Jure Canonico Procuratores esse. *C. 1. c. 2. 3. q. 7.* Et hinc non est de Jure Canonico officium

vel: de Jure verò Civili esse officium vile constat. *Ex l. 34. C. de Decurion. lib. 10.* sed cum hodie officium Procuratoris à Rege concedatur in Tribunalibus, ubi certus numerus est assignatus, nobile esse dicitur. *Paz in Praxi annot. 4. n. 46.* Item nequeunt Procuratores esse excommunicati. *C. 7. de Judic. Religiosus, nisi sit Prælatus, vel alius de ejus licentia. Cl. 3. h. t.* Clerici, quando non possunt postulare. *C. fin. de Postuland. l. 5. tit. 5. p. 3.* Et quidem in uno negotio, vel lite, possunt plures Procuratores constitui, vel simpliciter, vel insoludum. Si plures sunt simpliciter simul constituti, unus sine altero non potest procedere, sed Judex potest unum eligere ad celeriore causæ expeditionem. Si in solidum sint constituti, ille, qui prevenit, & causam prius, licet nulliter tractare cepit, excludit alios. *C. 6. h. t. in 6. L. 18. tit. 5. p. 3.* si post unum constitutum constituitur secundus, hic revocat primum. *L. 31. ff. h. t.* nisi alter de voluntate Domini constet. *L. 24. tit. 5. p. 3.* In Cancellariis Regiis nostræ Hispaniæ, & in aliis Tribunalibus, nullus potest esse Procurator, nisi prius à Præside, & Senatoribus examinetur, & sit ex numero Procuratorum illius Audientiæ. *L. 1. tit. 24. lib. 2. R. C. Paz in Prax. annot. 4. n. 31.*

382 Regulariter in quacumque causa potest Procurator constitui, ac proinde rectè constituuntur in causis temporalibus, & spiritualibus. *C. 1. h. t. in 6.* In pecuniariis, etiam criminalibus, in liberalibus, sicut concernentibus statum: ad lites præsentis, & futuras, in prima, & in secunda instantia: Etiam ad matrimonium contrahendum potest Procurator constitui: debet tamen habere speciale mandatum, nec potest alium substituere: quod si fuerit revocatus, quando contrahitur matrimonium, hoc non tenet, etiam si revocationem ignoret. *C. fin. h. t. in 6.* Si non fuerit revocatus, etiam si tempore, quo ipse contrahit, principalis dormiat, vel in amentiam incidisset, valet matrimonium. Ut contra *Ponze lib. 2. de Matr. cap. 15. n. 14. & Lugo tenent Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 11. n. 12. & alii; arg. C. 3. §. fin. de Baptismo.* Quia tunc moraliter perseverat mandantis consensus, cum nec revocatus sit, nec per mortem cessaverit. Nec in Procuratoribus ad contrahendum matrimonium requiritur diversitas sextum; sed possunt duo viri, vel duæ femine esse Procuratores contrahentium. *Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 11. n. 15.*

Reus,



Reus, nec accusator in causis criminalibus criminaliter intentatis, in quibus potest infligi poena Capitalis, vel alia relegatione major, non potest per Procuratorem comparere. *C. 15. de Accusation. l. 13. ff. de Public. judic. l. 12. tit. 5. p. 3.* ne sententia Judicis reddatur elusoria, si reus, in quem poena infligenda erat, fugeret. Idem accideret in accusatore, si non compareret, cum deberet ad poenam talionis subscribere. *L. 7. ff. de Accusat.* Si solum venit imponenda poena pecuniaria contra accusatorem, ut hodie, cessante jam talionis poena, cum hæc possit imponi etiamsi ipse fugiat, nihil interest, quod non compareat per se, cum executio in bonis ejus facienda sit. Si reus absens criminaliter fuerit accusatus, licet non possit defendi potest per Procuratorem excusari, hoc est, possunt per Procuratorem proponi causæ suæ absentia. *L. 12. tit. 5. p. 3. Gonz. in c. 5. h. t. n. 10.* In causis, in quibus potest principaliter infligi infamia, potest quis Procuratorem constituere, siquidem hoc prohibitum non est. In actionibus popularibus, quæ competunt cuilibet de populo, admittitur Procurator ex parte rei, secus ex parte actoris. *L. 5. ff. de Popular. action.*

383 Procurator finito negotio, vel litæ debet rationem Domino reddere omnium, quæ gessit, illique omnia, quæ sit consecutus restituere. *L. 46. §. 4. ff. h. t. l. 25. tit. 5. p. 3.* Et propter industriam tacite promissam, de dolo, & etiam de culpa levissima damnum proveniens, restituere tenetur. *L. 11. l. 13. C. Mandat. l. 26. tit. 5. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* Procurator itidem potest à Domino exigere, non solum impensas legitimè in negotio factas. *C. 6. h. t. l. 25. tit. 5. p. 3.* sed & damna orta ob culpam levissimam mandantis. *Arg. L. 5. ff. Mandat.* Et quidem in his casibus mandans actionem mandati directam, mandatarius verò actionem contrariam mandati habet. Si Dominus salarium, vel honorarium procuratori promissit, ut potest, & jam regulariter fit. *L. 7. ff. Mandat.* Procurator pro eo habet actionem locati, & utraque actio transit ad hæredes. *Gonz. in c. 6. h. t.* Sed tales actiones non oriuntur, si contra, vel extra formam mandati aliquid factum est: Nam *finis mandati diligenter servandi sunt, l. 5. ff. Mandat.* adeò, ut quidquid contra, vel extra mandatum factum sit nullus momenti est. *C. 22. de Rescript. l. 19. tit. 5. p. 3.* Procurator, quando in judicio agit, debet jurate de

calumnia, non solum in anima sui Domini, sed etiam in anima sui ipsius. *Paz in Praxi annot. 4. n. 42.*

384 Procuratoris officium finitur morte Procuratoris in quo cum statu negotii, vel litis contingat. *L. 27. §. 3. ff. Mandat.* Siquidem illius industria erat electa. 2. mutuo utriusque consensu: nam dissolvitur modo, quo constituitur. *C. 1. de Reg. jur.* Sed lite contestata, debet accedere consensus adversarii, vel causa cognitio, quia in judicio quasi contrahitur cum adversario. *L. 3. §. 11. ff. de Pecul. Gonz. in c. 13. h. t. n. 3. Et 4. 3. morte consuetudinis, re integra, finitur, re non integra, perseverat. L. 26. ff. Mandat.* Procurator verò à Prelato deputatus pro juribus Ecclesie, etiam re non integra finitur per mortem constitutis. *Cl. fin. h. t. de Jure Hispano mortuo Procuratore, litæ jam contestata, ejus hæredes prosequuntur causam, sed hoc nunquam prædicatum fuit: si verò ipse Procurator substituerat alium, ipse substitutus, mortuo Procuratore prosequi causam potest. L. 23. tit. 5. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. 4.* Procurator potest ante litem contestatam, vel negotium inceptum, etiam sine causa libere à Domino revocari, postea tamen, ipso nolente revocari nequit, nisi Dominus suspectus, aut inimicus, aut adversario affinis fiat, vel in longinquam regionem peregrinetur, aut alia rationabilis causa subsit. *C. 2. h. t. in 6.* Revocatio Procuratoris debet intimari ipsi Procuratori, & Judici; vel ejus loco, adversario, ut sciant, Procuratoris potestatem esse finitam: aliàs valet, quidquid cum primò factum fuit. *C. 3. c. 4. h. t.* Postquam in iudicis, vel adversarii notitiam pervenit revocatio, nullum est ipso jure quidquid cum ipso Procuratore fiat. *C. 13. h. t. Et ibid. Gonz.* In matrimonii tamen Procuratore cessat potestas statim ab ipsa revocatione, etiam non intimata. *C. fin. h. t. in 6.* Renuntiatio facta à Procuratore constituto ad renuntiandum beneficio, post revocationem mandati, etiamsi ad ejus, vel Superioris notitiam non perveniat, jure speciali valet. *Cl. un. de Renuntiat. Gonz. in c. 13. h. t. n. 9.* Procurator potest renuntiare officio ante litem contestatam: secus post eam, nisi iusta absit causa. *L. 8. l. 9. l. 10. ff. h. t. l. 6.* finito negotio finitur hoc officium: & si ad litem sit datus Procurator, finita instantia iudicii per sententiam definitivam, nam licet teneatur Procurator appellare, ne sententia transeat in rem judicatam, non tenetur

tur appellationem prosequi, quia per litis contestationem fuit factus Dominus instantis, non causæ. *C. 14. h. t.* Denique, si Dominus ante, vel post litem contestatam, ad suam causam veniat, ut eam agat, & tractet per se, finitur Procuratoris officium. Quippe hoc ipso, nisi aliud exprimat, & protestetur, censetur Procuratorem revocare. *C. 8. h. t. in 6.* Huc potest reduci officium Cardinalis Camerarii, vulgò Camarlengo, qui Procurator, & Æconomus est Aerari Pontificii, habetque unam ex tribus clavibus thesauri in Castro S. Angeli servati, alias habent Papa, & Decanus Sacri Collegii, curamque habet proventuum Camere Apostolicæ, & Sedevacante magna gaudet autoritate, quippe qui potest moveram cum suis gentilitiis insigniis condere. *Calderon. de Excellent. Romæ, p. 2. lib. 5. cap. 4.*

## TIT. XXXIX.

## De Syndico.

385 CUM Universitas, Collegium, Civitas, Oppidum, vel quæcumque Communitas per se, nec convenire, nec conveniri possit. *L. 7. §. 1. ff. Quod cuiusque Univers. L. 13. tit. 2. p. 3.* debet constituere alium, vel duos, aut tres, qui ipsam Communitem ad hos effectus representent. *L. 1. §. 1. ff. Quod cuiusque Univers. taliter constitutus regulariter Syndicus dicitur, sicut generaliter Procurator appellatur, qui à privato constitutus est. Ut ergo Syndicus constituitur, debent vocari omnes, qui habent suffragium, & congregari duæ, saltem illorum partes, & consentire major pars congregatorum. L. 3. ff. Quod cuiusque Univers. si bona, & jura, super quibus constituitur, pertineant etiam communiter ad Prælatum, ejus assensus requiritur. Debetque talis Syndicus habere mandatum sigillo Universitatis munitum, & ubi est consuetudo ab aliquibus subscriptum. In nostra Hispania constituitur Syndicus modo, & forma, de qua in *L. 98. tit. 18. p. 3.* Talis Syndicus pro varietate materiæ, variis nominibus solet appellari. Si enim sit constitutus ad lites, & sententias præsentis, & futuras, dicitur Syndicus. *C. 2. de in Integr. restit.* Si ad negotia extrajudicialia, dicitur Curator; si ad pecuniam administrandam, dicitur Quæstor, seu Administrator Camere. Si ad criminales causas, & persequendas pœ-*

nas, & multas Universitati debitas, dicitur Fiscalis. Si ad certam causam, vel litem, dicitur Actor publicus. Si Communitas, cujus vices agit, sit Ecclesia, Æconomus dicitur. *C. 2. D. 89.* Et licet sic pro diversitate causarum diversis appellentur nominibus, ob affinitatem negotiorum generaliter procuratores, & aliis nominibus appellantur. *C. 7. c. 9. h. t.* Potesse constitui Syndicus aliquis de corpore Universitatis; etiam illius Rector, vel Superior, vel etiam extraneus. *Gonz. in C. un. h. t. n. 10.* Etiam in causis spiritualibus Laicus potest Syndicus constitui; quia nec munus spirituale, nec jurisdictionem, sed nudum ministerium exercet; *arg. C. 1. de Procurat. in 6.* Æconomus verò Ecclesie cum administrationem spirituum habet, debet esse Clericus. *C. 22. 16. q. 7. Gonz. in C. un. h. t. n. 12.*

386 Potestas Syndici, si aliunde non restringatur, vel amplietur, eadem ferè est, ac Procuratoris constituti cum libera *L. 6. §. fin. ff. Quod cuiusque Universit. potestque transigere, præstare juramentum, aliaque hujusmodi facere: non tamen donare, nec remittere debitum liquidum. Post contestationem fit Dominus litis, & in ipsum processus dirigitur, & cum sit persona publica Universitatem representans, præsumitur esse solvendo, ac proinde non cogitur satisfacere de iudicato solvendo, sed tantum de iudicio sisti: nec cavere debet de rato, nisi quando de ejus mandato dubitatur. *L. 6. §. 3. ff. Quod cuiusque Univers. & quando jurat de calumnia, solum in suam propriam animam, non verò in animam communitatis, vel eam constituentium jurat. C. 3. c. 4. de Juram. calumn.* Et cum ad causas Universitatis sit constitutus generaliter, non finitur ejus officium finita instantia, sed debet prosequi appellationem; *arg. C. 14. de Procurat.* Nec morte constituentium finitur, quia communitas, cujus nomine constitutus est, non moritur, sed in quibuscumque successoribus est moraliter eadem. *L. 7. §. 2. ff. Quod cuiusque Univers. Revocatione, & aliis modis, quibus Procuratoris officium finitur, similiter & finitur officium Syndici.* Et quidem Abbas solus potest revocare Syndicum, etiam cum consensu Capituli constitutum; quia ipse solus in causis sui Monasterii agere potest. *C. 21. de Rescript. nec in tali revocatione vertitur Monasterii præjudicium. Religiosi debent habere Syndicum extraneum, qui causas Monasterii agat, & defendat; etiam assignato illi salario: nam expedit pro parvo incom-**



modo à strepitu causarum servos Dei segregari, & quietos vivere. *C. un. h. t.* Si verò necessitas, vel utilitas aliud exigat, potest constitui Syndicus unus ex Religiosis cum consensu Praelati. *C. 35. 16. q. 1.* Et sic in praxi servatur *Gonz. in C. un. h. t. n. 12.* qui n. 13. ait) hunc textum non de necessitate, sed ex honestate tantum procedere. Denique in dubiis, si quæ oriantur, debet attendi, & servari Syndici mandatum. *L. 98. tit. 18. p. 3. Gonz. in C. un. h. t. n. 10.*

## TIT. XL.

## De his, quæ vi metusvè causata sunt.

387 *VIS absoluta*, seu *precisa* est majoris rei impetus, qui repelli non potest. *L. 2. ff. de eo quod metus caus. vel clarior;* est corporalis coactio ad patiendum, vel faciendum aliquid. *L. 15. tit. 2. p. 4. ibi: Fuerza se debe entender de esta manera, quando alguno aduce contra su voluntad, ò le prenden, ò le ligan.* Sic *Pyrus Priamum Altaria ad ipsa tramentem traxit.* Et cum hæc vis tollat absdubio voluntarium. *Aristot. Et hic. 3. cap. 1. C. 3. §. fin. de Baptismo,* excusat à peccato illam patientem, ut *S. Lucia* dixit Tyranno: *Si invitam jureris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* *L. 39. ff. ad L. Jul. de Adulter. L. 20. C. eod.* ubi *Lex Julia* non comprehendit mulierem vi oppressam. Quod si vis armis inferatur, dicitur *vis publica*, & *armata*; si sine illis, *vis privata* dicitur. *§. 6. Inst. de Interdict.* si aliquid mobile per vim auferatur, dicitur *vis ablativa*: & adversus eam competit interdictum *vi bonorum raptorum.* Si quis in sua possessione turbatur, vis turbativa committitur, & competit, si facta est in immobilibus interdictum *uti possidetis*, si in mobilibus interdictum *uti possidetis*, quando quis in usu suæ rei inquietatur, committitur *vis inquietativa*, & competit interdictum, *quod vi, aut clam.* Si quis ejiaciatur à possessione suæ rei committitur *vis expulsiva*, & competit interdictum *unde vi.* Denique quando quis compellitur ad aliquid faciendum, quod alias non faceret: v. gr. quando aliquis alicui mortem minatur, si aliquid non faciat, committitur *vis compulsiva*, & competit actio, & exceptio. *Quod metus causa*, quæ omnia plures Textus, & *DD.* citans assert *Doct. An-*

*ton. Pichard. in pr. Inst. de Vi honor. raptor. ex n. 13.*

388 *Vis compulsiva* dicitur etiam *conditionalis*, seu *modificata*, & in hoc sensu sumitur in præsentis Rubrica: parum enim distat à metu, nisi in eo, quod vis referatur ad eum, qui cogit, metus ad eum, qui cogitur. *Metus ergo est mentis trepidatio, instantis, vel futuri periculi causa.* *L. 1. ff. de eo, quod metus caus. id est, alius voluntatis fugiens malum imminens.* Si futuri mali apprehensio vehementer animum contrahat, datur metus; si mali imminenti apprehensio conturbet, timor dicitur: si malum, quod apprehenditur sit permanente, formido appellatur. Si valde concutiat, terror dicitur. Si mentem loco moveat, pavor; si ulterius processerit, exanimatio est. Ita *Gonz. in C. 1. h. t. n. 12.* *Vis precisa*, & absoluta tollit absolute voluntarium. Siquidem illam ab extrinseco patiens, non tam agit, quam agitur. Metus tamen, licet minuat, non tollit voluntarium. *L. 21. §. 5. ff. de eo, quod metus caus. ibi: Quamvis si liberum esset noluissem, tamen coactus volui.* Unde *Glos. Voluntas coacta voluntas est.* Et ideo nullus metus excusat à peccato illum, qui facit quod est intrinsicè malum. Et hinc merito *Innoc. XI.* damnavit hanc propositionem, quæ est 29. *Urgens metus gravis est justa causa Sacramentorum administrationem simulandi.* Metus alius est *gravis*, alius est *levis.* *Metus gravis* absolute talis est, qui cadit in virum constantem, seu constantissimum, ut loquitur *L. 6. ff. Quod metus caus.* & vehementer ejus animum conturbat, nec facile potest superari: & etiam *metus justus* appellatur, & *metus majoris malitatis.* *L. 5. ff. de eo, quod metus caus. Vir constans ille dicitur, qui alias fortis, & non meticulo-sus est.* *L. 15. tit. 2. p. 4. ibi: Miedo se entiendo, quando es fecho en tal manera, que todo ome, maguer fuesse de gran corazon, temiesse de ti.* Ut ergo metus cadere dicatur in virum constantem duo requiruntur scilicet; quod & malum, quod timeatur grave sit iudicio prudentum, & quod gravi, seu probabili ratione timeatur, tanquam imminens. Sic *Suar. lib. 1. de Voto, cap. 8. n. 1.* gravem metum incutiunt mors, mutilatio, servitus, amissio status honorifici, vel Dignitatis, amissio bonorum, vel saltem notabilis partis illorum, atrox cruciatus, verbera, carcer diuturnus, exilium, stuprum, adulterium, & alia hujusmodi. *C. 2. c. 6. h. t. L. 3. l. 4. l. 7. ff. eod. l. 15. tit. 2. p. 4.* idem est, si hæc omnia timeantur, non solum sibi, sed ne filiis eveniant,

niant. *L. 8. §. fin. ff. h. t. ob rationem, quæ ibidem redditur: Cum affectu parentes magis in liberis terreantur.* Si verò metum patiens facile his malis occurrere possit, non censetur metus gravis. Metus falsæ infamiae vanus est, & contemnendus. *L. 7. ff. de eo, quod metus caus. metus verò admittendi criminis, ex quo vera sequatur infamia, gravis est.* *L. 8. §. pen. ff. h. t.* Quando quis aufugit ex timore tantum, quod ad eum homines armati accederent, non potest intentare Edictum, quod *metus causa*: cum non censetur metus gravis, si verò illos armatos ad se venientes vidit, & aufugit, causam justam, & gravis metus habuisse creditur. Et sic concordantur *L. 9. ff. de eo, quod metus caus. Et leg. 33. §. 2. ff. de Usucapion. Gonz. in C. 1. h. t. n. 14.* Quando actio est tantum per Legem Civilem, vel Ecclesiasticam prohibita, gravis metus à peccato excusat talis Legis transgressorem. Sic *David* comedit, necessitate urgente, panes propositionis contra Legem scriptam, & à Domino excusatur apud *Matth. 12.* Item Discipuli Domini, qui alienas spicas fame coacti sumpserunt, immunes fuerunt à peccato, Christo D. sic declarante apud *Matth. 12.* Et habetur *Text. in C. 26. de Cens. D. 5.* quia Leges humanæ non obligant cum tam gravi periculo, nisi per accidens misceatur obligatio Juris Naturalis, quia v. g. illa transgressio cedat in damnum Reipublicæ, vel in contemptum Legislatoris, præcipue Ecclesiastici, vel in fidei contemptum, vel si scandalum generetur ex non observatione; ut si *Hereticus* in contemptum Ecclesiæ mortem minaretur Catholico, si carens in die jejunii non comedit: tunc enim potius debet mortem pati, quam carnes comedere. *C. 8. 32. q. 4.* Sic *Eleazarus* maluit mortem subire, quam carnes porcinas in contemptum Legis comedere. *Machab. 2. cap. 6.* sic etiam fidelis nequit cum excommunicato communicare, in contemptum Clavium Ecclesiæ, etiam quocumque periculo proposito. *C. 5. h. t. ibid. Gonz. n. 10.*

389 Metui gravi æquivalet metus *reverentialis*, filii, uxoris, Clerici, Monachi, vel subditi erga parentem, maritum, Episcopum, Abbatem, vel Principem, dummodo accedat rigida tractatio, asperitas vultus diuturna, rixæ, importunæ preces, & repetitæ, & aliquæ minæ. *C. 8. 20. q. 1. C. 11. de Desponsatione impuber.* siquidem valde molestum est sustinere prædicta mala, vel preces, à persona, cui debetur reverentia, obedientia, vel continua ha-

bitatio; arg. *C. 2. de Pañ. in 6. L. 22. ff. de Ritu nuptiar. Jun. Glos. fin. ibid. L. 10. tit. 1. p. 4. Et ibid. Greg. Lop. V. Todo,* independentè ab his metus reverentialis levis censetur *Greg. Lop. ubi sup. Sanchez de Matrim. lib. 4. D. 6. n. 7.* contra *varios variè sentientes apud ipsum ex n. 4.* Si enim quicumque metus reverentialis gravis censeretur, plures contractus inter has personas celebrati, essent infirmi. Nec sola minæ gravem metum incutiunt, nisi procedant ab eo, qui solitus sit eas exequi. *L. 9. c. h. t.* Nec sat est suspicio tantum metus inferendi, nisi vehementer sit, ut pro metu habeatur. *L. 9. ff. de eo, quod metus caus. L. 7. §. 1. ff. Quod. fals. Tutor. Gonz. in C. 1. h. t. n. 12.* Metus, qui absolute non est gravis, censetur gravis respectivè, attendente qualitate subjecti, aliisque circumstantiis inspectis. Talis consideratur metus in senibus, mulieribus, pueris, & Indis, quos quidem minor vexatio facile conturbat; arg. *C. 6. de Homicid. c. 4. 32. q. 6.* Et quidem Judicis arbitrio relinquuntur judicare, quando talis metus, gravis, vel levis, sit habendus. *Metus levis* est vana mentis trepidatio ex malo levi, & modico immediate orta, qui non vehementer animum conturbat, & facile potest excuti, solumque cadit in virum pusillanimum, & formidolosum, qui non timenda timet. Talem metum incutit levis infamia, vexatio modica, & quid simile. Et solet vocari *metus injustus, improbabilis, & vanus.* *L. 6. ff. de eo, quod metus caus. L. 184. ff. de Reg. jur.* Metus, sive gravis, sive levis, alius est incusus ab *intrinseco*, alius ab *extrinseco.* Ab *intrinseco* incussus est ille, qui à causa naturali, & non libera provenit. V. g. à naufragio, incendio, ruina, morbo, bellua, &c. Ab *extrinseco* incussus dicitur ille, qui provenit à causa libera, scilicet, ab homine. Et tunc alius est *justus*, alius *injustus* incussus; ac profundè *metus justus*, vel *injustus* dicitur. *Justus* ille censetur, qui inferitur ab eo, qui jus inferendi illum habet: v. g. si *Judex* minetur mortem delinquenti, qui penam mortis meretur, vel si *Episcopus* sub censura adimplere præcipiat sponsalia legitime contracta. *Injustus* est, quando illum inferens non habet jus illum inferendi, sed per injuriam metum inferit, v. g. *latro*, qui minatur mortem, si ipsi pecunia non tribuatur. Metus potest incuti, vel ab altera comparte contrahente, vel ab altero tertio: item potest incuti *directè* ad extorquendum consensu, ad aliquem actum, ut si *latro* mortem minetur *Titio*, si non



tribuat pecuniam: vel potest incuti ob alium finem, ut si pater ob violentiam suæ filiam fidam minetur mortem, & violator ad mortem vitandam promittat illam in uxorem ducere.

390 Actus proveniens à metu gravi intrinseco valet, & non rescinditur. Similiter valet, nec rescinditur actus factus metu, etiam gravi, & ab extrinseco proveniente, incuso tamen justè, id est, ab habente jus incutiendi: v. g. si quis contrahat matrimonium metu accusationis, vel pœnæ incusso ab eo, qui potest justè deferre ad Judicem; matrimonium validum erit; *arg. L. 21. ff. de eo, quod metus caus. ibi: Hunc sibi metum ipsa infert.* Si metus gravis injustè incutiatur, etiamsi illum incutiens, fidei, & sine animo exequendi, mortem v. g. minaretur, dum patiens metum serjò credat, mortem esse sibi inferendam, attento Jure Naturæ non reddidit actum, ad quem metus infertur, invalidum, cum in eo non desit simpliciter voluntarium, & consensus. Metus verò levis, etiamsi injustè incussus sit, non reddit actum invalidum, nec rescindibilem, nec metum passo datur actio in foro externo. *L. 6. ff. de eo, quod metus caus.* quod ob quietem publicam statutum est, ne Tribunalia litium frequentia obruantur: & ne foveantur lites, ac consequenter impediantur commercia. Sed cum talem metum inferens faciat injuriam, & injustitiam, debet in conscientia satisfacere pro illa injuria, & rescindere actum, si metum passus velit, vel ipsum implere, si metum passus rescissionem nolit, ut sic res in pristinum statum restituantur, & redigatur ad æqualitatem. Et ad hoc est in conscientia obligatus metum inferens. *Sanch. de Matr. lib. 4. D. 9. n. 4. cum pluribus, contra alios variè sentientes apud ipsum ex n. 1.* Imò & inforo externo taliter metum passo succurritur officio Judicis, & contractus rescinditur: quia non est æquum, Judicem permittere, ut metum inferens commodum ex sua culpa reportet; *arg. L. fin. ff. de Extraord. crimin. Sanch. de Matr. lib. 4. D. 9. n. 5. Gonz. in C. 1. h. t. n. 14.*

391 Actus extorri gravi metu injusto non sunt ipso jure positivo nulli nec irriti, sed tantum irritandi, & rescindendi per Judicem, proposita actione: *Quod metus causa*, etiamsi metus non ab ipso contrahente, sed ab alio tertio sit incussus. *L. 14. §. 13. ff. de eo, quod metus caus. C. 15. de Sponsal. Ita tenent Glos. in C. un. h. t. in 6. Gl. in L. 21. V. Ullum, ff. de eo, quod metus caus. Anton. Gom. Var. 3. cap.*

*4. Sanch. de Matr. lib. 4. D. 8. n. 4. ubi plures citat. Gonz. in C. 1. h. t. n. 15. contra Soto de Just. & jur. lib. 8. q. 2. art. 7. Palacios de Contract. lib. 4. cap. 9. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 326. Fortun. & alios; qui dicunt, actus metu gravi injusto incitus esse nullos ipso jure. Et quidem nostra conclusio probatur ex C. 2. h. t. l. 1. §. 3. l. 21. §. 5. ff. de eo, quod metus caus. L. fin. C. cod. §. 1. Instit. de Exempt. L. 56. tit. 5. p. 5. ibi: Por miedo, ó por fuerza comprando, ó vendiendo algun ome alguna cosa, non debe valer; ante decimos, que debe ser desfecha la compra. Et ibid. Greg. Lopez, V. Desfecha. In quibus Textibus actus metu gesti, rescinditur, & cum certum sit, actus ipso jure nullos rescindi non posse, *L. 5. D. de Justo rupt. legitime* deducitur, tales actus non esse nullos, nec irritos ipso jure, imò & validos esse summo jure infertur: quia in ipsis nec voluntarium, nec justus titulus deest, ac proinde jure naturali volent, & cum nullo jure positivo irritentur, etiam summo jure positivo valere dicendum est: nè jus positivum sine fundamento discordemus à jure naturali. Deinde: quia magis favorabile est metum passo, cujus favorem Leges spectant, si contractus, vel actus subsistat, quam si ipso jure esset nullus; sic enim ipse potest eligere, vel actum rescindere, quando ipsi fuerit damnosus, vel si utilis sit, poterit compellere inferentem metum, stare actui, & ipse ad hoc est obligatus in conscientia. Sed quia inspecto effectu idem est, quando actus rescinditur, ac quando nullus est: idèd actus metu gravi facti irriti solent appellari. *L. 1. C. de Rescind. vendit. quod clarè patet ex L. 56. tit. 5. p. 5.* Et hoc modo fit satis fundamento præcipuo adversariorum.*

392 Sunt tamen aliqui actus, qui ad sui valorem requirunt majorem libertatem, & spontaneitatem: ac proinde si metu gravi injusto extorqueantur, sunt nulli ipso jure. Tales sunt matrimonium. *C. 14. c. 15. de Sponsalib.* Constitutio procuratoris ad illud. *Sanch. de Matr. lib. 4. D. 12. n. 22.* quia ut accessorium sequitur naturam principalis. *C. 42. de Reg. jur. in 6. promissio, & constitutio dotis. L. 21. §. 3. ff. de eo, quod metus caus. Sponsalia. C. 11. de Desponsat. impuber. Sanch. de Matr. lib. 4. D. 19. n. 3. contra Eurig. & alios, promissio, & traditio rerum Ecclesiæ, etiam juramento firmata. C. 2. de Jur. jur. Testamentum, ad quod testes coguntur. L. 20. §. fin. ff. Qui Testament. facer. Absolutio à censura. C. un. h. t. in 6. Datio libertatis.*

L. 9.

*L. 9. ff. Qui, & à quib. electio Canonica. C. 14. de Electio. collatio jurisdictionis, & ejus prorogatio. L. 2. ff. de Judic. factum à Tutore invito, vel per vim detento. L. 1. §. 1. ff. de Author. Tutor. Professio, vel vota religiosa, seu solemnia: quia non solum libertatem, sed spontaneitatem requirunt. C. 1. de Regular. ibi: Spontanea voluntate. C. 1. de Statu Regul. in 6. C. 1. h. t. ex quo, & idem de voto simplicis religionis tenet Suar. de Voto, lib. 1. cap. 8. Renuntiationem beneficii metu factam, esse ipso jure nullam tenet Gonz. in C. 3. h. t. cum aliis ex Cl. 2. de Pœnis contra Barbos. Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. & alios. Votum simplex gravi metu extortum, etiam ad hoc direddè incusso, mero, & summo jure valet; licet relaxari possit, metu probato. *Suar. de Voto, lib. 1. cap. 8. à n. 4. Marin. de Voto, Disp. 1. sect. 15. n. 73.* Nam cum ex una parte tale votum sit voluntarium, & aliundè nullo jure positivo probetur irritum, ipso jure, valere dicendum est: nam text. in C. 1. h. t. loquitur de professione religiosa; & text. in C. 6. h. t. tantum à contrario sensu metus levis hoc possit inferre. Nec probat in voto, sicut non probat in juramento. Contrarium tamen tenet Gonz. in C. 6. h. t. n. 10. citans Bonav. & alios. Similiter juramentum licet metu gravi extorqueatur validum est, etiam jure positivo. *C. 8. de Jur. jur. C. 2. c. 3. h. t. L. fin. tit. 11. p. 3.* Quæ relaxatur: sed certè ratione metus facile relaxatur. *C. 15. de Jur. jur.* Quando verò relaxatum est, servari non debet; nec contractui robor, nec firmitatem præstat. *Suar. de Jurament. lib. 2. cap. 10. n. 4. Sanch. de Matr. lib. 4. D. 20. Gonz. in C. 6. h. t. n. fin. contra Seraph. Cabrer. & alios.* Et ratio est, quia juramentum, quod sine dispendio salutis æternæ, & sine alterius præjudicio potest impleri, servandum est. *C. 28. de Jur. jur.* Et hac ratione dicendum est, quod renuntiatio beneficii metu facta, juramento firmata, valet. *C. 3. c. 4. h. t. donec juramentum relaxatur.* Tunc enim renuntiatio nulla est. *C. 2. h. t. Gonz. in C. 4. h. t.* De quibus casibus latè agunt *Gloss. in C. 2. h. t. V. Coactus. Gonz. in C. 1. h. t. ex n. 17. & alii.* Quando metus non est incussus ad extorquendum actum, sive proveniat à causa morali sive libera, & quamvis gravissimus sit, non reddit actum nullum, nec rescindibilem, sed firmus utique est, non obstante lato metu; *arg. C. 17. de Regular. ubi valet votum factum metu mortis ab eo, qui morbo laborabat. Et**

Tom. I.

ratio est, nam ille, qui actum facti ob metum, non impellitur ab alio ad talem actum, sed à se ipso; cum nullus tunc hujusmodi actum exigat, sed voluntariè eligitur à metu passo, ut medium ad evadendum periculum animæ, vel corporis. Sic *Sanch. de Matr. lib. 4. D. 12. ex n. 3.* ubi plures casus particulares, & Doctores illos probantes affert.

393 Si actus metu gestus est ipso jure nullus probata nullitate, & declarata per Judicis sententiam, repetitur, ac restituitur quod datum, aut acceptum est. *C. fin. h. t.* Quando verò contractus, vel actus non est ipso jure nullus, sed est rescindendus: si metum passus jam tradiderat rem, & in illo actu est læsus, & damnnum acceperit, & metus est gravis, ab extrinseco injustè illatus, & præsens, tunc talis metum passus habet actionem: *quod metus causa*, qua coram Judice petit, contractum, vel actum rescindi, sibi que restitui suam rem cum fructibus ab inferente metum perceptis, & cum illis, quos ipse metum passus potuisset percipere, si non fuisset metus incussus: siquidem fuit causa talis damni. *L. 12. ff. de eo, quod metus caus. quam quidem actionem etiam habet contra tertium possidentem, licet metum non intulisset. L. 14. §. 3. ff. de eo, quod metus caus. daturque hæc actio contra hæredes, quatenus ad eos pervenit, ne lucrum ex damno alieno consequantur. L. 9. §. fin. l. 14. §. In hac, ff. de eo, quod metus caus. Et quatenus rei persecutionem continet, datur hæredibus, coeterisque successoribus. L. 16. §. 2. ff. de eo, quod metus caus. Quod si res nondum sit tradita, & illam petat, qui metum intulit, repellendus est exceptione: *quod metus causa*, quia cui damus actiones, eidem, & exceptionem competere multo magis quis dixerit. *L. 156. ff. de Regul. jur. De quo latè Gonz. in C. 1. h. t. ex n. 21. Pichard. in §. 27. Instit. de Actionib.**

## TIT. XLII.

### De in integrum Restitutione.

394 **R**estitutio est prepositio in pristinum statum, in quo res fuit ante lesionem. *C. fin. 2. q. 2. L. 24. §. 4. ff. de Minor. l. 1. tit. 19. p. 6.* ibi: *E que revoque el juicio, que fuesse dado contra el, è torne el pleyto en el estado, en que era ante que lo diessen.* Et quidem hoc restitutionis remedium potest proponi

L. 2

per



per modum actionis, seu directæ, vel etiam indirectè per modum exceptionis. Et pendente restitutionis causa omnia in eodem statu debent manere. *L. un. C. h. t. l. 2. tit. 25. p. 3.* Et illa obtenta reintegrantur omnia, & reducuntur ad statum, in quo ante lesionem erant; quæ quidem restitutio utrique litiganti est communis, lædenti scilicet, & læso, ut unus non ferat lucrum, nec alter damnatum recipiat. *C. 1. h. t. l. 24. §. 4. ff. de Minor. l. 8. tit. 19. p. 6.* Hinc est quod minor læsus in venditione, si restituitur, debet reddere non solum pretium emptiois, quatenus in ejus utilitatem est versum. *L. 10. C. de Prædiis minor.* Sed etiam expensas necessarias, & utiles bona fide ab emptore factas cum laboris æstimatione, & melioramentis. *C. 1. h. t.* Et quidem secundum pretium, quod habent tempore restitutionis, licet pluris valuisset, quando fuerunt facta, non tamen tenetur restituere expensas voluntarias. *L. 32. §. 5. ff. de Administr. Tutor.* Nec tenetur reddere mutuanti pecunias mutuo acceptas, quas ipse minor inutilitèr prodigit. *L. 27. §. 1. ff. de Minor.* nec pretium acceptum ex venditione, si fuerit consumptum, quo minor sit locupletior factus. Quando minor donavit aliquod prædium, vel lucrosam hereditatem repudiavit, vel ex alio contractu lucrativo fiat restitutio: tunc deductis expensis, debent cum re simul fructus restitui, siquidem non solum in re, sed & in fructibus fuit minor læsus. *L. 24. §. 4. l. 27. §. 1. ff. de Minor.* Si verò per venditionem, vel alium contractum onerosum aliquid alienavit minor, ex quo læsio resultet, si hæc contingat ex pretii inæqualitate fructus restituendi sunt juxta proportionem pretii diminuti, quia hoc modo fuit læsus. *L. 27. §. 1. ff. de Minor.* Si verò læsio proveniat ex eo, quod rem illam alienari non expedit: v. g. si alienavit primogenitum, vel Cæstrum Gentilitium, sufficit restituere rem sine fructibus, quia pretium loco rei substitutum poterat tribuere lucrum fructibus correspondens; quod si ita factum non est, sibi hoc imputet minor. *Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 575. n. 6. Lessius, eod. lib. 6. cap. 17. ex n. 70. contra alios aliter sentientes.*

395 Hoc ergo remedium extraordinarium datur, quando ex facto, vel contractu minoris resultat læsio saltem mediocris in ipsius præjudicium. Nec enim sufficit quælibet modica læsio, ut hoc remedium detur: tum quia de modicis non

curat Prætor. *L. 4. ff. h. t.* tum quia dederet homines, ne contraherent cum minoribus, quod in magnum ipsorum detrimentum cederet. *L. 24. §. 1. ff. de Minor.* Nec requiritur ad hoc remedium decernendum, quod læsio sit enormis, alias nullus favor minoribus fieret. *Mench. de Arbitrar. cas. 74. n. 4. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 573. n. 9.* necesse tamen est, quod læsio, quæ hoc remedium indiget, sit sufficientèr probata, vel manifeste de ea constet. *L. 24. ff. de Minor.* Et quidem coram judice competente, præsentè adversario, nisi contumacitèr absit. *L. 5. h. t.* citatione, & litis contestatione præmissis. *C. 2. h. t. L. 47. ff. de Minor.* Et quod læsio, vel aliqua culpa adversarii, vel facilitate læsi, vel negligentia Procuratoris, seu Administratoris contingerit. Nec sufficit, si casu fortuito læsio accidit: *Nec enim eventus damni restitutionem induiget, sed inconsulta facit. L. 11. §. 4. ff. de Minor.* Insuper requiritur ad restitutionem decernendam, quod negotium sit Civile: nam in Criminalibus restitutio non datur: quia malorum mores non debet fovere restitutionis remedium. *L. 1. C. Si adversus delicti.* Et certè actus, vel contractus debet esse validus, ut adversus illum petatur restitutio: Si enim est nullus; v. g. quia sine Curatore est celebratus, tunc competit remedium ordinarium nullitatis, nec habet locum restitutionis remedium. *L. 1. tit. 25. p. 3.* tum quia est rescisorium, quod supponit actum validum: tum quia est extraordinarium, quod non datur habenti remedium ordinarium, nisi sit pinguius illo. *L. 16. §. 3. ff. de Minor.* Debet etiam actus esse rescindibilis, ut emptio, & venditio: si enim irrescindibilis est, ut matrimonium, ordinum susceptio, & professio religiosa, non habet locum restitutio. *Molin. de Just. tr. 2. D. 573. n. 6. & 8.* in his causis spiritualibus minor habetur tamquam si major esset. *C. fin. de Judic. in 6. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 37. n. 21.*

396 Minor læsus in quantitate pretii non solum potest petere supplementum pretii, sed etiam rescisionem contractus. Sic *Gonz. in C. 1. h. t. n. 13. & alii ex C. 1. h. t.* ubi possessiones Ecclesiæ concessæ sub modico censu ad jus, & proprietatem illius jubentur redire. *L. 27. §. 1. ff. de Minor.* quia restitutio reponit rem in statu, quem ante lesionem habebat. Quod si læsio sit ultra dimidium justipretii, non solum competit remedium. *L. 2. C. de Rescind. vendit.* sed etiam restitutio

in

in integrum, si læsus ea velit uti: quia per *L. 2. de Rescind. vendit.* solum petitur alternativè vel rescisio contractus, vel pretii supplementum, & electio est penes reum. At vero per restitutionem determinatè peti potest rescisio contractus, si ita velit læsus, & apud ipsum electio est. Deinde: quia difficile est probare lesionem ultra dimidium, & ad restitutionem sufficit lesionem gravem probare, ac proinde hoc restitutionis remedium, ut pinguius in hac parte, licet extraordinarium sit, non excluditur per remedium ordinarium, *d. L. 2. C. de Rescind. vendit.* Datur ergo restitutio adversus venditionem prædii majorum suorum, si minor est læsus in retractu omisso. *C. 8. h. t.* adversus locationem, aliosque contractus onerosos, etiam adversus transactionem, compromissum, donationem irrevocabilem, etiam remunerationis causa factam, causæ tamen profanæ, secus causæ piæ. Etiam datur adversus solutionem, si non est Decreto Judicis firmata. *L. 32. §. 4. ff. de Administr. Tutor.* Etiam adversus aditionem hereditatis damnosæ, & lucrosæ repudiationem: adversus sententiam latam omisa probatione, vel defensione. *C. 2. 6. 3. h. t.* etiamsi à Papa sit sententia lata, restitutio petatur prætextu erroris proprii. *C. 5. h. t.* Etiam adversus appellationis fatalia, usucapionem, confessionem propriam, si minor non est legitime interrogatus, vel etiamsi legitime interrogatus sit, si confessus est crimen falsum: secus est, si legitime interrogatus confessus est verum crimen. *L. 37. §. 1. ff. de Minor. l. 4. tit. 19. p. 6.* Etiam datur adversus tres sententias conformes, si petatur restitutio prætextu imprudentiæ, & imbecillitatis ætatis, secus si prætextu injustitiæ. *Covar. Præd. cap. 25. n. 7. Menoch. de Arbitr. cas. 9. n. 3.* etiam adversus adoptionem, vel arrogationem, si bona minoris male administrarentur: vel si ipse minor pravis moribus imbuatur. *L. 3. §. 6. ff. de Minor. l. 5. tit. 19. p. 6.* Restitutio etiam conceditur adversus lapsum quinquennii, in quo etiam major non reclamavit adversus suam professionem ratione ignorantie, vel alterius impedimenti. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 104. n. 18. Sanch. de Marrim. lib. 7. D. 37. n. 22. contra Ceval. Com. q. 500.* Et licet *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 19.* hoc videatur negare, loquitur solum de Actione ordinaria, quæ non debet intendi elapso quinquennio. Secus est de remedio extraordinario, quale est restitutio, de qua in

præsenti. De quibus omnibus agitur in *L. 5. & seqq. tit. 19. p. 6. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 573. Gonz. in C. 1. h. t. n. 10.* Si restitutio denegatur, non potest iterum ipsa neque coram Judice denegante, neque coram alio peti. *L. 1. C. Si sapius,* quod si postea novæ emergunt defensiones, potest concedi. *C. fin. h. t.* Idem est, si minor omisit appellare à sententia denegationis restitutionis; nam tunc potest concedi restitutio ad appellandum contra talem sententiam. *C. fin. h. t. l. 6. tit. 19. p. 6. Et ibid. Greg. Lop. Deinde in l. 5. tit. 5. lib. 4. R. C. sic habetur: Ordnamos, y mandamos, que si por parte de los menores, o de qualquier persona, o Universidad, que de Derecho pueda pedir restitucion in integrum, se pidieren restitucion en la primera instancia para poner sus excepciones nuevas, que una vez tan solamente le sea otorgada la restitucion: con tanto, que la pidan antes de la conclusion para definitiva, y que por la misma sententia le sea denegada otra restitucion. Et ibid. Aceded. & præcipue in L. 3. tit. 8. lib. 4. R. C. Quando post venditionem, vel locationem celebratam, & perfectam, justo pretio, & debitis solemnitatibus, alius majus pretium offerat minori, qui rem vendit, non debet restitui: quia tunc non datur læsio: secus si celebrata fuit sine debitis solemnitatibus, & non justo pretio, etiam in publica subhastatione. *C. 8. h. t. L. 7. §. 8. ff. de Minor. l. 5. tit. 19. p. 6. Et ibid. Greg. Lop. Molin. de Just. tr. 2. D. 575. n. 9. Less. lib. 2. c. 17. n. 69.**

397 Restitutionis beneficio gaudent. 1. Minores, qui 25. annos ætatis nondum impleverunt. *L. 3. §. 3. ff. de Minor. L. 2. tit. 19. p. 6.* etiamsi Clerici sint, & beneficio Ecclesiastico renuntiaverunt, & etiamsi beneficium alteri jam sit collatum. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 573. n. 16. contra aliquos.* Et ratio est: quia fragile, & infirmum est hujus ætatis consilium, multis captionibus obnoxium, expositumque multorum insidiis, & idèdè facile sibi nocere gravitèr possent in bonis suis, tum propria imperitia, tum aliorum malitia, aut negligentia. *L. 1. ff. de Minor. l. 7. tit. 19. p. 6. 2.* Hoc gaudet beneficio Ecclesiæ ob favorem publicum, & quia earum bona aliena industria curantur. *C. 1. c. 3. h. t. c. 1. c. 2. eod. in 6. l. 35. C. de Episcop. & Cleric.* nomine Ecclesiarum veniunt in præsentem, etiam Ecclesiæ inchoatæ, Monasteria, loca Religiosa, Congregationes, Confraternitates, & quæcumque pia loca, & hospitalia: dum tamen Episcopi autho-

ri-



ritate erecta sint. 3. Clerici in bonis, & juribus suorum beneficiorum: quia hæc magis ad Ecclesiam, quam ad Clericos pertinent: secus est in bonis patrimonialibus. 4. Republicæ, & opida eodem beneficio fiuntur. L. 4. C. *Quibus ex causis*. Gonz. in c. 1. h. t. n. 11. *contra aliquos*. Et clare habetur in l. fin. tit. 19. p. 6. ibi: *Porque los bienes de las Iglesias, & de los Reyes, & de los Concejos se pierden, & se menoscaban por culpa de los que los han a procurar, & por engaño de los otros: E por ende fue establecido antiguamente, que tales bienes ayan aquel privilegio, & aquella mejoría, que han las cosas de los Menores de veinte & cinco años. Et ibid. Greg. Lop. V. Concejos. 5. Idem obtinet privilegium Princeps Supremus, non quidem quoad bona illius propria, sed quoad bona Principatus, coronæ, aut fisci. L. fin. tit. 19. p. 6. Et ibid. Greg. Lop. V. Reyes Hoc tamen privilegium, quod prædictis conceditur ad minorum exemplum est aliquo modo reale: Si quidem non præcisè conceditur ratione personæ, sed ratione damni, quod minor, vel Ecclesia patitur in bonis, & juribus suis; ac proinde etiam competit hæredibus minorum, qui illos representat, etiamsi hæredes majores sint: ita ut intra tempus, quo minor posset, possint, & ejus hæredes restitutionem petere. L. 18. §. fin. ff. de Minor. l. 8. tit. 19. p. 6. sicut privilegium S. C. Vellejani concessum mulieribus fidejumentibus, transit ad ipsarum hæredes. L. 20. C. ad S. C. Vellejan. regulariter tamen hoc restitutionis beneficium non competit fidejussoribus minorum. L. 1. C. de Fidejus. minor. L. 5. tit. 19. p. 6. Cum enim fidejussor sit major, cautius prospicere sibi debuit, nec ita facile spondere debebat: Nec minor tenetur fidejussori actione mandati pro eo, quod solvit. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 573. si non privilegiatus sit Socius, vel consors litis privilegiati, & res est dividua, hoc est, dividi potest, v. gr. debitum centum aureorum, restitutio privilegiati non prodest Socio non privilegiato: proderit tamen, si causa, vel res sit individua, quæ scilicet, dividi nequeat. Arg. L. 10. ff. *Quemadmod. servit.* tunc enim extenditur privilegium ob privilegiatum ad non privilegiatum, ne alias inutiliter privilegium concessum videatur. Molin. de Just. tr. 2. D. 573. n. 31. *Ayllon. in Adit. ad Gom. contra ipsum, Gonz. 2. Var. cap. 14. num. 10.**

398 Minores, & qui eorum privilegio gaudent restitui possunt, si læsi sunt, &

de eo constet, ex officio Judicis, etiamsi pars restitutionem non petat, vel etiam implorato Judicis officio. L. 24. §. fin. ff. de Minor. possuntque hoc remedio uti quamvis aliud remedium habeant. Quod si Tutore, vel Curatore interveniente læsi sunt, in eorum electione est contra Tutorem, vel Curatorem experiri actione Tutelæ, vel Curatelæ; vel restitutionem petere. Majoribus quandoque conceditur restitutio; non tamen ex officio Judicis, sed ad instantiam partis, & quando alio remedio carent, nec Procuratorem, contra quem agant, relinquunt: non tamen sufficit ipsis probare læsionem, sed requiritur justa causa ad talem restitutionem concedendam. Justæ causæ sunt: si quis fuit læsus, cum causa Republicæ absens erat, vel per justum metum, vel infirmitatem, vel violentam detentionem abfuit: vel si miles sit, vel persona, in qua juris ignorantia toleratur, ut rustici vel mulieres, vel quando quis ex necessitate, non ex voluntate agere non potest, vel denique quando alia justa causa ad restitutionem subsit. L. 1. & seqq. ff. *Ex quibus caus. Major.* Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 574. n. fin. Sed non restituitur major adversus præscriptionem ex eo, quod invencibiliter, & justè ignoret, rem suam præscribi. Ut contra *Baritol. & alios tenent Fachin. lib. 1. Controv. cap. 69. & alii. Ex c. 6. de Prescription. l. fin. C. de Fundis patrimon. lib. 11.* in quibus quadragenaria præscriptio omnem actionem, molestiam, & inquietudinem, ac proinde restitutionem in integrum excludit. Deinde: quia alias rarissimè locum haberet usucapio, si admitteretur talis restitutio: & ex præscriptione, quæ ad consopandas lites est introducta novæ lites quotidie exurgerent, & ex ipsis remediis novæ damna orientur.

399 Minores non gaudent restitutione. 1. Adversus professionem religiosam validam, nec adversus ordinationem validè factam, nec adversus matrimonium: quia hæc ex sua natura rescindi nequeunt: ac proinde non potest restitutio fieri: bene tamen conceditur adversus læsionem in dote, vel in aliis rebus acceptam. L. un. C. *Si adversus. dotem.* 2. Si minor aliquid dolo malo in contractibus gessit: *Quia malorum mores infirmitas animi non excusat.* L. 1. C. *Si advers. delict.* 3. Si veniam ætatis impetrarunt. L. 1. C. de His, qui ven. Ne hi, qui cum eis contrahunt principali autoritate circumscripti esse videantur. Hæc quidem venia masculis 20. sex-

fœminis 18. ætatis anno completo concedi solet. L. 2. C. de His, qui veniam. Et licet hanc veniam impetrans non possit bona immobilia alienare sine Judicis Decreto usque ad 25. annum completum: ac proinde talia alienans sine Decreto Judicis, cum contractus sit nullus, restitutione non indigeat: si tamen cum Judicis Decreto alienet, non gaudet restitutionis beneficio. Molin. de Just. tr. 2. D. 573. n. 4. 4. Si quando sunt majores ratum habeant, quod cum essent minores, fecerunt. L. 1. l. 2. C. *Si major fact.* 5. Si dolose se simulent majores; quia errantibus, non tamen fallentibus minoribus publica jura subveniunt. L. 2. C. *Si minor se maj.* l. 6. tit. 19. p. 6. 6. Si minor cum pube jam sit, contractum juravit. C. 28. de Jur. jur. l. 6. tit. 19. p. 6. 7. Si huic restitutionis beneficio, ut in ipsorum favorem inducitur, juramento renuntiantur. L. 29. C. de Pañis. 8. Si casu fortuito, v. g. incendio rei empta læsus est minor postquam contractum prudenter gessit: quia non evensit damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas. L. 11. §. 4. ff. de Minor. 9. Contra sententiam, quæ pro libertate servi fuit contra minorem lata, hic non restituitur. L. 6. tit. 19. p. 6. 10. Si minor 25. annis, major tamen 20. se vendat ad pretium participandum: tunc enim non conceditur restitutio in integrum. L. 9. §. 4. ff. de Minor. 11. Nec contra solutionem minoris factam Decreto Judicis. §. 2. *Instit. quibus alienare licet.* L. 4. tit. 14. p. 5. Molin. de Just. tr. 2. D. 224. n. 35. *Gomez Var. 2. cap. 14. n. 4.* Denique minor litteratus, seu Doctor non restituitur, si in puncto juris sit læsus, & deceptus, secus est, si læsus sit in patrimonii administratione. Et sic possunt concordari DD. absolutè sentientes cum Gonz. in c. 1. h. t. n. 10. restitutione ipsum gaudere. Et DD. hoc absolutè negantes cum *Gom. 2. Var. cap. 14. n. 15.* Minor adversus minorem, & Ecclesia adversus aliam Ecclesiam adhuc privilegio restitutionis gaudet, si unus minor, & Ecclesia sit lædens, & alter minor, vel Ecclesia sit læsa. C. 3. h. t. l. 11. §. 6. ff. de Minor. Nam licet privilegiatus non gaudeat privilegio contra pariter privilegiatum quando utriusque conditio par est. L. 12. C. *Qui Portiores*, quando scilicet, uterque est læsus, & ageret de damno vitando: v. g. si Titius minor Sejo minori pecuniam mutuum dedisset, & hic prodigè eam absumpsisset, non daretur Titio restitutio. L. 11. §. 6. ff. de Minor. Hæc tamen

perfectò datur, quando utriusque est dispar conditio, quando scilicet, alter lædit, alter læsus est, quando unus agit de captando lucro, alius verò de vitando damno, *Barbosa axiom. jur. axiom. 190. num. 3.*

400 Cum restitutio in integrum sit actus mixti imperii, solum potest peti coram Judice habente, solum mixtum imperium. C. 9. h. t. l. 16. §. fin. ff. de Minor. junct. *Glos.* Et quidem competente, respectu ejus contra quem petitur. L. 2. C. *Ubi, & apud quem.* Sive sit competens ratione domicili, vel rei sitæ, vel contractus. *Covar. lib. 1. Var. cap. 4. n. 1. Molin. de Just. tr. 2. D. 573. n. 23.* nec interest, an Judex sit Ordinarius, an delegatus; si hoc specialiter sit ipsi commissum. L. 3. C. de Judic. Clericus læsus in rebus patrimonialibus potest contra Laicum petere restitutionem coram Judice Sæculari: quia actor sequitur forum rei. C. 8. de For. compt. si verò Ecclesia in rebus suis sit à Laico læsa potest restitutionem petere vel coram Judice Sæculari, vel Ecclesiastico. C. 11. de Rebus Eccles. non alienand. Et quidem restitutio est petenda coram eo Judice, qui contra minorem protulit sententiam, vel coram ejus Superiore. L. fin. tit. 25. p. 3. non tamen potest peti coram delegatis non habentibus administrationem, sed tantum facultatem judicandi, nec coram arbitris, nisi incidenter. C. 9. h. t. Arg. L. 3. C. de Judic. Et Judex debet partem adversum citare, ut sic cognita causa, restitutionem concedat; vel neget. L. 2. tit. 25. p. 3. l. 8. tit. 19. p. 6. Minor restitutionem petens duo debet probare: Et damnum accepisse in bonis suis, sive in contractu, sive in sententia, sive quomocumque; & se esse minorem 25. annis, cum illud accepit. L. 11. §. 3. ff. de Minor. l. 2. l. 5. l. 6. tit. 19. p. 6. sive sub Curatore, sive sine Curatore extiterit, & ejus autoritate contraxerit; quinimo etiamsi accedat Judicis Decretum adhuc restituetur minor, si læsus invenitur. L. 11. C. de Prædiis minor. l. 1. tit. 25. p. 3. Tunc minores damnum accepisse creduntur, quando ipsi, quod habuerunt amiserunt; aut quod acquirere emolumentum potuerunt, omiserunt, aut se oneri, quod non suscipere licuit, obligaverunt. L. 44. ff. de Minor. Potest minor læsus non solum per se, sed etiam per Procuratorem restitutionem petere: debet tamen Procurator habere ad hoc, speciale mandatum: C. 7. h. t. Qui verò habent administrationem



legitima bonorum minorum, Ecclesiarum, vel Civitatum sine alio mandato possunt restitutionem petere, cum ex munere proprio illis administratio incumbat. Tales sunt Tutor, Curator, Prælati, Æconomus, Pater administrans bona adventitia filii. Non tamen admittuntur alii ad restitutionem petendam, etiam pro consanguineis nisi cum speciali mandato. Minores debent restitutionem petere cum autoritate Curatorum. *L. 1. h. 2. C. Qui legitimi. l. 2. tit. 25. p. 3. ibi: Demandar pueden los guardadores entrega del juicio, que fuesse dado contra los Menores, o ellos mismos, estando sus guardadores delante. Esso mismo puede hacer su personero aviendo señalado mandado para esto.*

401 Antiquitus restitutio erat petenda intra annum utilem, nunc autem intra quadriennium petenda est: quod quidem currit diebus feriatis, & hac parte est continuum: non tamen currit justè impedito, sed deducitur tempus impedimenti: & hac parte est utile. *L. fin. C. de Tempore in integr. restit.* Minori est numerandum tempus restitutionis ab anno 25. completo usque ad annum 29. completum. *L. 8. tit. 19. p. 6.* quod si veniam ætatis impetriverit, numeratur quadriennium à die, quo hac venia obtenta, & intimata ei fuit, nec restitui possunt minores elapso quadriennio, etiam ex justa causa. *Molin. de Just. tr. 2. D. 574. n. 3.* Ecclesiæ, & Civitati incipit currere quadriennium à die læsionis factæ. *C. 1. c. 2. h. t. in 6. Cl. un. h. t. l. fin. tit. 19. p. 6.* & sufficit, quod intra quadriennium petatur restitutio, licet post plures annos concedatur. *C. 5. h. t. Et ibid. Gonz. n. fin.* regularitèr tamen debet intra quadriennium finire, & terminari causa restitutionis, nisi justa subsit causa. *Cl. un. h. t.* Si læsio in alienatione fuit ultra dimidium justè pretii, restituuntur Ecclesia, Civitas, & Rex intra 30. annos computandos à die alienationis. *L. 9. tit. 19. p. 6.* potest etiam post quadriennium Ecclesia restitui, si fraude, aut dolo læsio facta sit, vel alia rationalis causa subsit. *C. 1. h. t. in 6. Molin. de Just. tr. 2. D. 574. n. 3.* Et etiam adversus Prælati confessionem restituitur Ecclesia ultra quadriennium, justo errore probato. *C. fin. h. t. in 6. ibi: Ubi verò per viam communem revocationis erroris, quem in factò prætendit, vult adversus suam confessionem Ecclesia se juvare, hoc quancumque poterit, donec negotium sit finitum.* Majoribus computatur quadriennium à die, quod cessat causa absentia,

vel alterius impedimenti. *Glos. in Cl. un. h. t. V. A tempore.* nisi restitutio petatur ex causa metus, quæ actio uno anno finitur. *L. 14. §. 1. ff. de Eo, quod metus caus. vel si ex dolo petatur: quæ finitur biennio continuo. L. fin. C. de Dolo malo.* Quando verò nullum est justum impedimentum, elapso quadriennio, cessat omninò restitutio, nec per modum exceptionis potest opponi: quia cum sit in potestate læsi restitutionem petere, non petendo censetur, huic privilegio in ejus favorem introducto, renuntiare. Nec habet locum regula. *Text. in l. 5. §. fin. ff. de Dolo. mal. Et mer. except.* scilicet, quod ea, quæ temporalia sunt ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum. *Gonz. in c. 1. h. t. n. 9.* ob rationem dictam.

402 Quando Ecclesia, Civitas, vel Universitas, vel minor læsionem patiuntur sine culpa Prælati, Procuratoris, vel Curatoris, solùm possunt restitutionem in integrum intendere, nullam tamen habent actionem contra Prælatum, vel Procuratorem, vel Curatorem, quia nulla in eis datur culpa. *L. 47. ff. de Minor. Si verò hæc detur, possunt Ecclesia, Civitas, & Minor intentare alternativè, vel restitutionem, vel actionem contra Prælatum, Procuratorem, vel Curatorem, quod si ex una via obtinuerunt, non possunt petere ex alia. L. 39. §. 1. ff. de Minor. l. 2. tit. 19. p. 6.* si culpa Procuratoris provenisset læsio, contra ipsum determinatè agitur, & solùm, quando solvendo non est, petitur restitutio. *Molin. de Just. tr. 2. D. 573. n. 5. Greg. Lop. in l. 2. tit. 19. p. 6. V. De su guardador.*

## TIT. XLII.

## De Alienatione judicii mutandi causa.

403 Quoties in judiciis realibus alienata, vel cessa est res, vel in judiciis personalibus alienata, vel cessa est actio ad rem, de qua timetur movenda lis, si per talem alienationem, vel cessionem fiat deterior conditio debitoris, quia alienatio facta est in alium potentiorum, vel cavillosum, vel in hominem alterius Provincie, vel in Clericum ob mutationem fori: & talis alienatio fiat animo doloso, & intentione, ut conditio actoris, vel petitoris fiat durior: & re ipsa ejus conditio ob quali-

tatem adversarii substituti fiat deterior: tunc potest læsus, cujus interest, intentare actionem Prætoriam in factum adversus alienantem, ad id, quanti nostra interest, non habere alium adversarium: & ad refectionem impensarum, aliaque damna. *L. 1. & seqq. ff. h. t. l. 30. tit. 2. p. 3.* Siquidem alteri per alterum non debet iniuria conditio inferri. *L. 74. ff. de Reg. jur. C. 33. eod. in 6. Gonz. in C. 2. h. t. n. 8.* Etiam datur actio in rem, quæ utilis rei vindicatio dicitur. *L. un. c. h. t. & competit læso contra possessorem rei alienatæ; quin & adversus alienantem, qui dolo desiit possidere: quia qui dolo desiit possidere pro possessore habetur. L. 131. ff. de Reg. jur.* Utraque actio, cum sit rei persecutoria, competit hæredibus læsi. *L. 4. §. fin. ff. h. t.* Sed quia videtur provenire ex delicto, non competit contra hæredes alienantis, nisi quatenus ad eos pervenit. *L. 7. ff. h. t.* At verò de Jure Canonico in *C. 1. h. t.* Is in quem facta est alienatio rei causa mutandi judicii, convenitur per rescriptum impetratum contra alienantem, etiamsi illius nulla fiat mentio in rescripto. Et in *C. 2. h. t.* sub censura prohibetur Clericis has alienationes, vel cessiones facere. Quæ omnia comprobantur ex *L. 30. tit. 2. p. 3. ibi: Otro si decimos, que si alguno, temiendo que le demandaran en juicio alguna cosa que tiene, la enagenare à otro mas poderoso, que si, o que sea de otro fuero, por hacer mas trabajar al que entiendo que le quiere mover pleyto sobre ella, que puede el demandador demandar al que la tuviere. Orrosi puede demandar al que la enagenò quando daño le vino por razon de aquel enagenamiento: pero si non quisiere hacer la demanda à aquel que tiene la cosa, bien puede demandar la valia de ella à aquel que la enagenò. Mas despues que este precio, que diximos, llevar de enagenador, non puede despues demandar al que la cosa tiene. L. 15. tit. 7. p. 3.*

404 Nominè alienationis venit in præsentem omnis actus, per quem in alium transfertur dominium rei, sive ex titulo oneroso, sive ex titulo lucrativo. *L. 1. C. de Fund. total.* vel etiamsi transferatur tantùm possessio, v. g. si quis rem alienam vendat, locus est huic Edicto. *L. 8. §. 2. ff. h. t.* Etiam extenditur ad manumissionem servi, ad servitutes tam reales, quam personales, & alia hujusmodi. *Gonz. in C. 2. h. t. n. 11.* Si quando res alienatur, lis jam est mota talis alienatio est ipso jure nulla. *L. 2. C. de Litigios.* ac proinde non est necessaria hæc actio. *Gonz. in C. 2. h.*

Tom. I.

*t. n. 10.* Nec iridem habet locum hoc remedium. 1. Si res, de qua lis timetur, non alienetur per contractum inter vivos, sed per ultimam voluntatem. 2. Si non judicii mutandi, sed ex alia causa alienatur: v. g. ad fugiendas lites molestias, vel ob debita solvenda, vel ob infirmitatem, vel senium, &c. *L. 4. §. 3. ff. h. t. 3.* Si quis non alienavit rem, sed tantum eam locavit, commodavit, vel desponsit. 4. Si alienatio non fuit dolo malo facta. 5. Si nihil intersit petitoris, rem esse alienatam.

## TIT. XLIII.

## De Arbitris.

405 Arbitrè ab arbitrando, seu existimando, dicitur, & licet aliquando hoc nomine vocetur Judex, præcipuè in actionibus bonæ fidei, ut probat *Gonz. in C. 1. h. t. ex n. 8.* in præsentem tamen arbitrè ille dicitur, qui cum Judex non sit, eligitur, ut circa rem aliquam controversam suum judicium proferat, suoque judicio, vel sententia controversiam dirimat, ut sic litis expensis parcatur, & sine publico judiciorum strepitu quieti, & paci consulatur. *L. 4. tit. 21. lib. 4. R. C.* Arbitri jure partitarum dicuntur Avenidores, ò Succes de Avenencia. Arbitrè ergo alius est juris, alius compromissarius. Arbitrè juris, qui & necessarius dicitur, quia potest compelli ad hoc munus suscipiendum, est ille, qui ex juris dispositione assumitur: ut accidit in casu, quo Judex est suspectus. *C. 39. de Offic. Deleg.* & quando diversi Judices super revocatione rescriptorum discordant. *C. 14. de Rescript.* Arbitri juris magnam cum Judicibus affinitatem habent, gaudentque quadam jurisdictione, quasi media inter ordinariam, & delegatam, possuntque partes citare, examinare testes, lites contestationem, & juramentum calumnia, aliaque hujusmodi exigere, & facere. *C. 39. de Offic. Deleg. Et ibid. Glos. V. Apud quos omnia. L. 23. tit. 4. p. 3.* & reconvictionem possuntmittere, si non sunt electi ad terminatum articulum; *arg. C. 1. de Mutuis petit. Compromissarius, qui & voluntarius dicitur, quia non tenetur hoc munus suscipere, est ille, qui ex conventionione partium eligitur, ut rem determinet. C. 1. c. 7. h. t.* Et hinc compromissus, & arbitrium pro eodem sumuntur. *L. 1. ff. de Recept. qui arbitr.* Ex his tamen arbitris alii assumuntur, ut rem determinent ser-

Aa

va